



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

29. Augusti. Nunquam contradicere debes cuiquam, sive cum ratione, sive contra: semper verò complecti, quod aliis probatur. S. Ign. ap. Lyræ in anteloq.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

is æquo gradu officiant; media tenenda est via, ut nec spes metum excludat, nec metus à spe discedat.

29. Augusti.

*Nunquam contradicere debes cuiquam, siue cum ratione, siue contra: semper verò complecti, quod aliis probatur. S. Ign. ap. Lyræ in anteloq.*

**F**lamma augetur irritata flabris, tantò que consurgit altiùs, quantò hæc vehementiora urserint, non sopienda, nisi aura omnis vehementior arceatur. Taciturnitate tuâ os æmuli sigillabis.

Opinio tua te pungit, non dens alienus: nemo læditur, nisi à se ipso; si vulnus non admittas, omnes omnium ictus elisisti. Ut in molli frangitur impetus; ità si parato excipias animo, conatus omnes infregisti.

Imbellis animi est ad omnem sensum commoveri; fortior dissimulare novit, aut in usum convertere; si enim lædatur, aut probationem virtutis credit, aut pœnam delicti patitur.

Facillimùm est à pessimis malè audire; nemo illis credit, nisi tu, multùm exculpando, umbram tibi facies. Tace, vicisti.

Diffidiis nihil proficitur, charitas læditur,  
& veritas non elucescit.

30. Augusti.

*Quod in libris infectum est veneno, longius  
mè serpit, nisi principis occurratur.* S.  
Ignat. ap. Ribad. l. 5. c. 10.

**I**Nfelix calamus ! tot calamitatum au-  
thor. Illud inter mala tua pessimum,  
quòd non sit medicabile. Littera scripta  
manet, transit per manus, sæcula integra  
inficit, omnibus, & semper, nocet.

Venena cætera vires tandem amittunt,  
illa, quæ libris committuntur aconita,  
semper durant, in distans agunt, & ad locum  
quò scripti author non potest, malum  
penetrat.

Tuo tu calamo legem statue : nihil ut  
umbris dignum inde promanet, quo inno-  
cens oculus offendi possit, vel, ut infaustos  
calami alieni abortus partu meliori con-  
fundas. Scribe, quæ legentibus profint.

Venena auro illita nihilominus nocent.  
Eruditio inter sordes veneno infectas qua-  
sita doctiorem te facit, sed & scelestum.  
Non leguntur hæc impunè, nolentibus pa-  
riter se affricat malum. Fugisse, vicisse est.

31. Aug